

TRACTATUS
DE PASSIONIBUS
ET VIRTUTIBUS

D. Thomas, I^a II^a, a q. 22 ad 48 et a q. 55 ad 70.

PROOEMIUM

[Postquam S. Thomas a q. 6 usque ad 21 disseruit de actibus homini propriis quibus ultimum finem consequi potest, a q. 22 ad q. 48 disserit de actibus homini et aliis animalibus communibus, qui dicuntur passiones; quatenus enim subsunt politice imperio rationis, participant aliquid de ejus regulatione et de moralitate, possuntque conducere ad ultimum finem, vel ab eo avertere: unde circa eas regendas occupatur magna pars virtutum, ex earumque deordinatione pullulant plurima vitia. Quia tamen circa hanc materiam non sunt graves controversiæ et vix tractatur in scholis, quamvis magni referat eam theologiæ tyrones non ignorare, ideo eam summam, sufficienter tamen, percurremus. Similiter de virtutibus, de quibus agit S. Doctor a q. 55 ad 70, pauca dicemus, propter easdem rationes. Omnia ergo quæ de passionibus et virtutibus dicturi sumus duplici dissertatione compendiose complectemur.]

DISSERTATIO I
DE PASSIONIBUS

D. Thomas, a q. 22 ad q. 48.

ARTICULUS I

De passionibus in communi.

D. Thomas, a q. 22 ad q. 25.

[Quæritur 1^o quid sit passio.

Resp. Communis est omnium sensus, passionem esse actum appetitus sensitivi quo quis ad aliquid afficitur vel ab eo refugit. Cur autem, cum sit actus, dicatur passio? Ratio est, quia iste actus natus est causare transmutationem in dispositione naturali corporis, quæ transmutatio infert passionem, quatenus subjectum patitur amittendo aliquid.

Pro cujus intelligentia observandum est quod pati dicatur tripliciter¹. Uno modo, communiter et late, secundum quod omne recipere est pati, etiamsi nihil abjiciatur a re, ut si dicatur aerem pati, dum illuminatur: et hoc sensu intellectus et sensus cognoscitivus, recipiendo species, possunt dici pati. Alio modo dicitur proprie pati, quando aliquid recipitur cum alterius abjectione. Et hoc contingit dupliciter. Quandoque enim abjicitur quod non est conveniens rei, et recipitur quod est conveniens: sicut, cum corpus animalis sanatur, dicitur pati, quia recipit sanitatem, abjecta ægritudine. Quandoque, e converso, contingit dum abjicitur quod est conveniens rei, et recipitur quod est disconveniens: sic ægro-tare dicitur pati, quia recipitur infirmitas, sanitate

1. Hic q. 22, a. 1, o.

abjecta. Et hic tertius modus est propriissimus modus passionis.

Unde dicit Augustinus, lib. IX *de Civit.*, c. 4, n. 1: « Hi animi motus quos Græci πάθη, nostri autem quidam, sicut Cicero, *perturbationes*, quidam *affectiones* vel *affectus*, quidam vero, sicut iste [Apuleius] de græco expressissime *passiones* dicuntur, et passio definitur ab Angelico¹, ex Damasceno in lib. II *de Fide orthod.*, c. 22: « Motus appetitivæ virtutis sensibilis, in imaginatione boni et mali; » id est: Motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni et mali, cum transmutatione corporali.

Dicitur *motus*, id est actus seu operatio, et tenet locum generis; *appetitus sensitivi*, quia iste appetitus est ejus subjectum; *ex imaginatione boni vel mali*, per quod significatur ejus principium; *cum transmutatione corporali*, quod talem motum distinguit a motibus voluntatis, quæ cum non sit affixa organo corporeo, non se movet cum transmutatione corporali, et a motione partis sensitivæ cognoscitivæ, quæ, licet sit affixa organo corporeo, per se tamen non transmutat corpus physicæ, sed intentionaliter tantum. Passio autem physicæ transmutat corpus, saltem cor²; in omni enim passione additur aliquid vel diminuitur a naturali motu cordis, in quantum cor intensius aut remissius movetur secundum systolem et diastolem.

Duo itaque importat passio³, scilicet actum animæ, qui se habet quasi formale, et transmutationem corpoream, quæ se habet quasi materiale, a qua tamen dicitur passio. Si primum desit, erit passio pure corporalis; si secundum desit, non erit passio, sed simpliciter motus seu operatio animæ.

Quæritur 2^o quot sunt passiones.

Resp. Sunt undecim passionem, sex in appetitu concupiscibili et quinque in appetitu irascibili.

1. Hic q. 22, a. 3, in arg. *Sed contra* et o. — 2. Hic q. 24, a. 2, ad 2. — 3. Q. 6 *de Veritate*, a. 2, ad 5.

In appetitu concupiscibili sunt : *amor*, seu inclinatio in bonum apprehensum simpliciter, cuius contrarium est *odium*, seu aversio a malo simpliciter ; *desiderium*, seu inclinatio in bonum apprehensum ut absens, sed futurum, contrarium habens *fugam*, seu aversionem a malo apprehenso ut absente, sed futuro ; *gaudium*, quod dicitur etiam *voluptas* vel *delectatio*, seu quies in bono apprehenso et realiter possesso, et contrarium habet *tristitiam*, seu inquietudinem et languorem animi ex malo apprehenso et actualiter injacente.

In appetitu vero irascibili inveniuntur : *spes*, seu motus in bonum apprehensum ut arduum, sed possibile adeptu, cuius contrarium est *desperatio*, seu motus a bono apprehenso ut arduo et adeptu impossibili ; *audacia*, seu motus in bonum apprehensum ut terribile et imminens, sed ut superabile, contrarium habens *timorem*, seu animi dejectionem ex malo apprehenso ut terribili et imminente, et non vitabili ; *ira*, seu vehemens inclinatio ad vindicandum, id est ad inferendum nocumentum causæ quæ malum cui subjacemus intulit, et hujus passionis non est contrarium.

Ratio hujus distinctionis¹. Cum passio sit actus appetitus sensitivi, dividitur secundum appetitus divisionem. Appetitus sensitivus est duplex, concupiscibilis et irascibilis ; in animalibus enim, sicut in aliis naturalibus, non solum est inclinatio ad prosequendum quod est conveniens, sed etiam ad resistendum contrariis et impediendis. Prima inclinatio in animali dicitur appetitus concupiscibilis, secunda appetitus irascibilis. Objectum concupiscibilis est bonum aut malum sensibile præcise ut tale, objectum irascibilis est bonum aut malum arduum. Si ergo appetitus concupiscibilis feratur in bonum aut malum simpliciter, abstrahendo an sit præsens aut absens, respectu boni est amor, respectu mali est odium ; si feratur in bonum aut malum absens, respectu boni est desiderium, respectu mali est fuga ; si versetur circa bonum aut

1. Hic q. 23, a. 1, o ; 1^a p., q. 31, a. 2, o.

malum præsens, respectu boni est gaudium, respectu mali est tristitia. Si autem appetitus irascibilis feratur in bonum arduum et difficile, vel illud bonum est obtentu possibile, et spes nascitur, vel est obtentu impossibile, et desperatio oritur ; si refugiat malum arduum, vel illud est repulso facile, et audacia exurgit, vel est repulso difficile, et timor apparet ; vel tandem versatur circa malum præsens vindicandum, et provocatur ira, cui nulla passio opponitur.

Hinc habes passiones concupiscibilis differre a passionibus irascibilis per hoc quod passiones concupiscibilis ferantur in objecta opposita ; tendunt enim in bonum vel recedunt a malo : passiones vero irascibilis ferantur in idem objectum contrariis motibus.

Quæritur 3^o qua ratione ira non habeat, sicut cæteræ, passionem oppositam.

Resp. Passiones concupiscibilis ad invicem contrariantur secundum contrarietatem objectorum, boni scilicet et mali ; in passionibus vero irascibilis habetur duplex contrarietas : una quidem, sicut in passionibus concupiscibilis, boni et mali, ut est inter spem et timorem ; alia autem contrarietas est secundum accessum et recessum relative ad eundem terminum, uti est inter spem et desperationem, inter audaciam et timorem. De ira dicit S. Thomas hic q. 23, a. 3, o : « Singulare est in passione iræ, quod non potest habere contrarium, neque secundum accessum et recessum, neque secundum contrarietatem boni et mali. » Et hanc rationem S. Doctor affert : « Causatur enim ira ex malo difficili jam injacente, ad cuius præsentiam necesse est quod aut appetitus succumbat, et sic non exit terminos tristitiæ, quæ est passio concupiscibilis, aut habeat motum ad invadendum malum læsivum, quod pertinet ad iram. Motum autem ad fugiendum habere non potest, quia jam malum ponitur præsens vel præteritum. Et sic motui iræ non contrariatur aliqua passio secundum contrarietatem accessus et recessus. Similiter etiam nec secundum contrarietatem boni et mali, quia malo jam injacenti opponitur bonum iam adeptum,

quod jam non potest habere rationem ardui vel difficilis, nec post adeptionem boni remanet alius motus nisi quietatio appetitus in bono adepto, quæ pertinet ad gaudium, quod est passio concupiscibilis. Unde motus iræ non potest habere aliquem motum animæ contrarium, sed solummodo opponitur ei cessatio a motu, sicut Philosophus dicit in sua *Rhetorica*, quod mitescere opponitur ei quod est irasci; quod non est oppositum contrarie [ut motus opponitur motui], sed negative vel privative [sicut cessatio motus motui opponitur]. »

Queritur 4^o utrum passiones possint esse bonæ vel malæ.

Resp. 1. Passiones animæ possunt considerari dupliciter: uno modo, secundum se; alio modo, secundum quod subjacent imperio rationis et voluntatis. Si igitur secundum se considerentur, prout scilicet sunt quidam motus irrationalis appetitus, sic non est in iis bonum vel malum morale, quod dependet a ratione; si autem considerentur secundum quod subjacent imperio rationis et voluntatis, sic est in eis bonum vel malum morale. Propinquior est enim appetitus sensitivus ipsi rationi et voluntati, quam membra exteriora, quorum tamen motus et actus sunt boni vel mali moraliter, secundum quod sunt voluntarii. Unde multo magis et ipsæ passiones, secundum quod sunt voluntariæ, possunt dici bonæ vel malæ moraliter. Sunt autem voluntariæ, vel ex eo quod a voluntate imperantur, vel ex eo quod a voluntate non prohibentur.

Tunc autem sunt bonæ, quando sunt a ratione moderatæ; malæ, quando sunt præter ordinem rationis². Hinc Christus, nullum habens peccatum, adhibuit passiones ubi judicavit secundum rationem eas esse adhibendas, sic *Marc.*, III, 5, *circumspexit cum ira*; *ibid.*, XIV, 34, *tristis fuit ejus anima usque ad mortem*; *Luc.*, XIX, 41, *flevit super Jerusalem*; *Joann.*, XI, 33 et 34, *turbavit semetipsum et lacrymatus est*. Et Apostolus, *Rom.*, XII, 15, jubet gau-

1. Hic q. 24, a. 1, o. — 2. *Ibid.*, a. 2, o.

dere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Isque est sensus communis hominum, posse recte timeri supplicium, amari bonum, fugere malum, et merito; cum enim appetitus sensitivus sit a Deo ut naturæ authore, non possunt non esse aliqui ejus actus boni, si a ratione regulentur et impendantur.

Attenditur autem regula et moderatio rationis, non præcise secundum intensionem aut remissionem passionis, sed secundum quod, consideratis objecto et circumstantiis, recta ratio exigit eam intendi aut remitti. Non ergo semper peccat qui vehementer vel irascitur, vel dolet, vel timet, sed qui excedit quod exigit recta ratio in his vel illis circumstantiis. Unde Moyses, *Exod.*, XXXII, 19, legitur fuisse valde iratus propter adorationem vituli; *Num.*, XXV, 11, laudatur zelus et indignatio Phinees; I *Reg.*, II et III, reprehenditur Heli quod non satis fuerit filiis suis indignatus; tandem ipse Christus, ut jam diximus, tristatus est usque ad mortem.

Queritur 5^o utrum passio, dum rationi et voluntati cooperatur, diminuat vel augeat bonitatem actus moralis.

Ante responsionem, nota passiones animæ posse se habere dupliciter ad voluntatem et rationem, antecederent scilicet et consequenter, et hoc ultimum dupliciter¹: 1^o per modum redundantæ; quando enim superior pars animæ intense movetur in aliquid, pars inferior sequitur ejus motum; 2^o per modum electionis, quando scilicet homo ex judicio rationis eligit affici aliqua passione, ut promptius et fervidius operetur cooperante appetitu sensitivo. Hoc notato,

Resp. 1^o Passio antecedens rationem et voluntatem diminuit bonitatem actus, quia obnubilat judicium rationis, ex quo dependet bonitas actus moralis; laudabilius est enim quod ex judicio rationis aliquis faciat opus charitatis, quam ex sola passione misericordiæ².

2^o Passio consequens voluntatem per modum redun-

1. *Ibid.*, a. 3, ad 1. — 2. *Ibid.*

dantiæ, est signum intensioris voluntatis, sicque indicat majorem bonitatem moralem, non tamen auget¹.

3^o Passio consequens per modum electionis, auget bonitatem actus²; quia, cum bonum hominis consistat in ratione sicut in radice, tanto istud bonum est perfectius, quanto ad plura quæ homini conveniunt extenditur: unde nullus dubitat quin ad perfectionem boni morales pertineat quod actus membrorum exteriorum per rationis regulam dirigantur. Atqui appetitus sensitivus potest obedire rationi, ut dictum est. Ergo ad perfectionem boni morales pertinet quod etiam ipsæ passiones animæ sint regulatæ per rationem. Sicut igitur melius est quod homo et velit bonum, et faciat illud exteriori actu, ita etiam melius est quod homo ad bonum moveatur secundum voluntatem et secundum appetitum sensitivum, juxta illud *Psal.* LXXXIII, 3: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*; quod intelligendum est ita ut cor accipiamus pro appetitu intellectivo, carnem autem pro appetitu sensitivo.]

ARTICULUS II

De passionibus in particulari.

D. Thomas, a q. 26 ad 48.

§ I

De passionibus appetitus concupiscibilis.

D. Thomas, a q. 26 ad 39.

[I. AMOR. — 1^o Amor, ut sic, est « complacentia boni³. » Intellige complacentiam firmam et robustam dominantem appetitui; si enim sit adhuc recens et infirma, erit potius rudimentum et inchoatio amoris, quam amor. Seu aliter:

1. Ibid. — 2. Ibid. et o. — 3. Hic q. 26, a. 1, o.

« Amor est propensio seu inclinatio in bonum secundum se, abstrahendo an sit præsens vel absens. »

Triplex est amor, sicut triplex est appetitus, scilicet rationalis seu intellectivus, sensitivus seu animalis, et naturalis¹. Amor rationalis est inclinatio in bonum per intellectum apprehensum; sensitivus est inclinatio in bonum per sensum apprehensum, et hic solus est passio: naturalis est inclinatio cuique naturæ, sive cognoscitivæ sive non, ab authore naturæ indita, in bonum sibi conveniens, ut lapidis in centrum.

Amor sive rationalis sive sensitivus dividitur in amorem amicitiae et in amorem concupiscentiæ². Quia amare est velle alicui bonum, motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, sive sibi, sive alteri, et in eum cui vult bonum. Primus est amor concupiscentiæ, secundus amor amicitiae. Amor amicitiae est simpliciter amor, quia quod amatur amore amicitiae simpliciter et secundum se amatur. Amor concupiscentiæ est amor secundum quid, quia quod amatur amore concupiscentiæ non simpliciter et secundum se amatur, sed amatur alteri. Unde, dum amas aliquem quia tibi est utilis, te amas amore amicitiae, illum autem amore concupiscentiæ; si autem illi velis bonum propter ipsum, illum amas amore amicitiae.

2^o Causa præcipua amoris est bonum, quia bonum est objectum amoris, objectum autem amoris est causa motiva illius. Altera causa amoris est cognitio, quia objectum non movet nisi cognitum, unde dicitur: « Ignoti nulla cupido. » Tertia causa amoris est similitudo, juxta illud *Eccli.*, XIII, 19: *Omne animal diligit simile sibi*; unde commune adagium: « Simile simili gaudet³. »

Est autem duplex similitudo⁴: una actualis, dum duo habent idem actu, v. g., duo homines humanitatem, duo parietes albedinem; altera potentialis, dum unus habet

1. Ibid. — 2. Ibid., a. 4, o. — 3. Hic q. 27, a. 1, 2 et 3, o. — 4. Ibid., a. 3, o.

potentiam ad formam quam alter actu habet, sicut varii cibi, qui per nutritionem seu assimilationem transeunt in speciem animalis, sub ejus forma redacti. Prima similitudo causat amorem amicitiae. Quando enim sunt duo actus similes in eadem forma, sunt quodam modo unum in illa forma: sicut duo homines sunt unum in specie humanitatis, et ideo affectus unius tendit in alterum sicut in unum sibi, et vult ei bonum sicut sibi. Secunda similitudo causat amorem concupiscentiae, quia facit quod qui habet solam in potentia formam quam alter actu habet, eam appetat, in cujus consecutione delectetur, si sit sentiens et cognoscens.

Per accidens tamen ex similitudine nascitur odium¹, quando nempe simile in uno est impeditivum boni aut excellentiae in altero; unde fit alteri odiosus, non qua similis, sed qua impeditivus illius boni. Et hinc aliud commune adagium ex Philosopho, VIII *Ethic.*, c. 1: « Figulus figulum odit; » et illud *Prov.*, XIII, 10: *Inter superbos semper jurgia sunt.*

His amoris causis adjungi possunt sympathia seu propensio naturalis unius ad alterum, societas, familiaritas, communicatio in bonis aut secretis.

3^o Primus effectus amoris est unio: unde Dionysius, c. 4 de *Divin. nomin.*, dicit, amorem esse vim unitivam². Duplex est autem unio: una realis, qua amatum est praesentialiter amanti; altera affectiva, qua ex apprehensione praecedente aliquis afficitur ad alterum. Primam causat amor effective, quia movet amantem ad quaerendam praesentiam amati; non sic tamen ut amatum sit substantialiter in amante, hoc enim est impossibile, sed omni modo qui est possibilis et conveniens, ut scilicet sibi adsint invicem, simul conversentur, aliisque modis amorem decentibus conjungantur.

Secundus effectus amoris est adhesio³; tertius, extasis⁴;

1. Ibid. — 2. Hic q. 28, a. 1, o. — 3. Ibid., a. 2, o. — 4. Ibid., a. 3, o.

quartus, zelus¹; quintus, laesio amantis²; sextus et universalissimus, loquendo de amore ut sic, prout comprehendit rationalem, sensitivum et naturalem, est generalis influxus in omnia quae agit amans³: 1^o quia omne agens agit propter aliquem finem. Finis autem est bonum amatum. Ergo omne agens, quodcumque agat, agit ex aliquo amore; 2^o quia amor est dominus appetitus, cujus est applicare ad agendum; 3^o quia amor est radix omnium aliorum affectuum et passionum quae movent animal. Si autem loquamur de appetitu sensitivo et prout est passio, non est causa omnium quae amans agit, quia quaedam agit aut agere potest ex electione voluntatis, sine passione.

His effectibus amoris adjungit S. Doctor alios quatuor, scilicet: liquefactionem, fruitionem, languorem et fervorem. — Haec omnia, quae hic notare tantum cogimur, utilissime apud ipsum Angelicum legentur, in locis citatis.

II. ODIUM. — Sicut amor est propensio et pondus in bonum seu conveniens, ita odium est aversio a malo seu disconveniensi⁴. Intellige de odio abominationis, quo aliquem vel aliquid, puta mortem, supplicium, etc., tamquam malum abominamur et fugimus, non de odio inimicitiae, quo alicui malum volumus; istud enim non est aversio, sed prosecutio alicujus quod apprehendimus ut bonum respectu nostri et ut malum respectu illius quem odio abominationis habemus.

Odium nascitur ex amore, quia ex eo quod aliquid amatur ut conveniens, ejus contrarium, ut disconveniens, odio habetur⁵.

III et IV. DESIDERIUM ET FUGA. — Desiderium est affectus appetitus tendens in bonum absens, per quod differt a delectatione, quae est de bono praesenti, et ab amore, qui est de bono secundum se, ut abstrahit a praesenti vel

1. Ibid., a. 4, o. — 2. Ibid., a. 5, o. — 3. Ibid., a. 6, o. — 4. Hic q. 29, a. 1, o. — 5. Ibid., a. 2, o.

absenti¹. Fuga, quæ opponitur desiderio, est aversio et recessus a malo futuro.

V. GAUDIUM seu delectatio. — Delectatio est quies appetitus in bono possessio : si sit appetitus rationalis, est delectatio spiritualis; si appetitus sensitivi, est delectatio sensibilis, quæ sola est passio, quia sola est cum transmutatione corporali². Non enim hic quies appetitus sive rationalis sive sensitivi sumi debet privative pro cessatione ab omni actu, sicut in rebus insensibilibus, quæ dum suam perfectionem consequuntur, id non sentiunt, et ideo censentur quiescere per solam cessationem motus : at vero entia cognoscitiva, dum perfectionem suam consequuntur, id percipiunt seu cognoscunt, et ex ista cognitione seu sensu causatur quidam motus animæ in bono præsentis complacentis et quiescentis, et iste motus est delectatio.

Quamvis delectationes intellectuales secundum se sint majores sensualibus, quia sunt de nobiliori objecto et bono magis secundum se delectabili, suntque firmiores; atamen, quoad nos, delectationes sensuales sunt majores spiritualibus, partim quia sensibilia sunt magis nobis nota quam intelligibilia, partim quia delectationes sensuales sunt cum transmutatione corporali, et appetuntur ut necessariæ quædam medicinæ : unde fit quod plures sequantur delectationes sensuales quam spirituales³.

Causæ delectationis sunt⁴ : prima, ipsa operatio, nam ad delectationem duo requiruntur, scilicet consecutio boni convenientis et cognitio seu perceptio hujus consecutionis, utraque autem est operatio; secunda, motus seu mutatio et alternatio; tertia, spes futuri; quarta memoria præteriti; quinta, similitudo.

Effectus delectationis sunt⁵ : 1° dilatatio cordis, quod sese explicat ac diffundere videtur; 2° causat sitim et desi-

1. Hic q. 30, a. 2, o. — 2. Hic q. 31, a. 1, o. — 3. Ibid., a. 5, o. — 4. Hic q. 32, a. 1, 2, 3 et 7, o. — 5. Hic q. 33, a. 1, 2, 3 et 4, o.

derium sui, quando scilicet imperfecte habetur; 3° adjuvat actum rationis, quando est ipsa spiritualis, et impedit, imo quandoque absorbet hunc actum, si sit corporalis¹; 4° perficit ipsam operationem qua percipitur.

VI. TRISTITIA. — Tristitia est affectus appetitus causatus ex apprehensione mali præsentis². Patet ex dictis de delectatione, cui opponitur. Similiter ejus causæ et effectus ex causis et effectibus contrariis delectationis cognoscuntur.

Remedia tristitiæ sunt³ : Primum, quælibet delectatio. Secundum, fletus, suspiria, gemitus, aliaque exteriora signa tristitiæ : partim quia omne noevum interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intensio animæ circa illud; quando autem ad exteriora diffunditur, tunc animæ intensio ad exteriora quodam modo disgregatur, et sic interior dolor minuitur : partim quia fletus et gemitus sunt operationes convenientes tristato et dolenti, omnis autem operatio conveniens affert delectationem. Tertium est amicorum conversatio, quia per hoc quod amici contristantur ei qui dolet, is percipit se ab eis amari; quod est delectabile. Quartum, pro sapientibus, est contemplatio veritatis, quia in contemplatione veritatis maxima est delectatio. Quintum, somnus et balneum, quibus dum debitus corporis status dolore turbatus restituitur, animus simul cum corpore reficitur.]

1. « Est quædam delectatio quæ habetur de ipso actu rationis, sicut cum aliquis delectatur in contemplando vel ratiocinando, et talis delectatio non impedit usum rationis, sed adjuvat, quia illud attentius operamur in quo delectamur; attentio autem adjuvat operationem. Sed delectationes corporales impediunt usum rationis tripliciter : 1° quidem ratione distractionis, quia ad ea in quibus delectamur multum attendimus...; 2° ratione contrarietatis; quædam enim delectationes maxime superexcedentes sunt contra ordinem rationis...; 3° secundum quamdam ligationem, in quantum scilicet ad delectationem corporalem sequitur quædam transmutatio corporalis, major etiam quam in aliis passionibus, quanto vehementius afficitur appetitus ad rem præsentem quam ad rem absentem. » Hic a. 3, o. — 2. Hic qq. 35, 36 et 37. — 3. Hic q. 38, per quinque art.

§ II

De passionibus appetitus irascibilis.

[I et II. SPES et DESPERATIO. — Spes est motus appetitus tendens in bonum futurum difficile et arduum, adeptu tamen possibile. Desperatio, e contra, est motus recedens a bono arduo adeptu impossibile, saltem moraliter¹. In juvenibus et ebriis aliisque qui non utuntur deliberatione, abundat spes, quia propter difficultatum inconsiderationem facile aestimant se id posse consequi quod volunt.

III. AUDACIA. — Audacia est motus quo appetitus insurgit adversus malum terribile imminens, ad ipsum fugandum et superandum². Dicitur terribile, quia mala levia contemnuntur. Neque obstat quod omnis actus prosecutionis, qualis est audacia, sit de bono; nam audacia est quidem de bono, sed etiam de malo sub ratione boni. Fertur enim in malum vincendum et fugandum, quæ victoria et fugatio est bona et utilis ad consequendum bonum quod sperat appetitus.

IV. TIMOR. — Timor est motus appetitus circa malum futurum arduum imminens cui non nisi difficile potest resisti, seu est dejectio animi victi gravitate periculi³.

Effectus timoris est contractio, non solum metaphorica qua appetitus a malo victus recedit et in se ipso colligitur, sed propria et corporalis, quatenus ex timore valor et spiritus ad interiora, præcipue ad cor, contrahuntur, non ut inde impetum faciant, sicut in ira, desiderio et audacia: sicut videmus in civitatibus quod, quando cives timent, retrahunt se ab exterioribus et recurrunt, quantum possunt, ad interiora et munitiora, ut salventur⁴.

Ex hoc effectu plures alii nascuntur, scilicet tremor, pallor, vocis interclusio, erectio capillorum, quandoque

1. Hic q. 40. — 2. Hic q. 45. — 3. Hic q. 41. — 4. Hic q. 44, a. 1, o.

subita canities, deliquium animi, stupor, turbatio mentis, sitis, faucium ariditas, etc.

V. IRA. — Ira est appetitus vindictæ cum fervore sanguinis circa cor¹. Differt ab odio inimicitæ in eo quod odium velit malum proximo ut illi malum, iratus autem vult illi malum sub ratione justæ vindictæ.

Præcipua causa iræ est parvipensio et contemptus, qui eo major est quo major est excellentia irati.

Effectus iræ sunt: 1° delectatio ob spem vindictæ, quæ est remedium injuriæ acceptæ; 2° fervor in corde; 3° turbatio mentis et corporis; 4° taciturnitas, vel quia turbata ratio passione, digna non reperit, vel quia tanta est turbatio, ut lingua ab usu naturali impediatur².]

DISSERTATIO II

DE VIRTUTIBUS

D. Thomas, I, II^o, a q. 55 ad q. 67.

[Post actus humanos et passiones, considerat S. Doctor principia actuum humanorum, et primo principia intrinseca, quæ sunt potentiæ et habitus. Sed quia de potentiis jam dixit in 1^a p., q. 77, de habitibus tantum hic agit, et primo de habitibus in genere, a q. 49 ad q. 54. Quia vero quæ spectant habitus in genere proprie sunt philosophica et minus necessaria, ideo ea hic omittimus. Deinde considerat de habitibus in speciali, et primo de habitibus bonis, qui sunt virtutes; secundo, de habitibus malis, scilicet de vitiis et peccatis. Itaque de virtutibus pauca dicenti sumus hic, postea autem de peccatis tractabimus.]

1. Hic q. 46 et 47. — 2. Hic q. 48